TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE

DE

ENTERITIDE.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE

DE

ENTERITIDE;

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE ADMODUM REVERENDI VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS DREW,

HIBERNUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT OLIVER ET BOYD.

1822.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

AVUNCULO SUO CHARISSIMO,

JOHANNI M. SMYTH, ARMIGERO,

DE CORCAGIA,

PROPTER PLURIMA BENEFICIA

IN SE BENIGNISSIME COLLATA,

HOCCE OPUSCULUM,

ANIMI GRATISSIMI

TENUE TESTIMONIUM

PIGNUSQUE AMORIS,

INSCRIBIT

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

ENTERITIDE.

AUCTORE GULIELMO DREW.

INTER telas quæ corpus humanum extruunt, nulla majoris molis est, et nulla magis diffunditur, quam tela serosa, quæ pro situ nominibus tam variis gaudet; paucæ etiam in sano corpore minus sentiunt et perpaucæ sæpius in morbum incidere solent. Morbis propriis formidolosis et molestis ipsa obnoxia est, et organorum corporis pene omnium, quæ ex parte format, vel quorum partes varias inter sese connectit, morbis affici et vitia participare valde

proclivis est: hinc sibi innumeros pene morbos, quos inter, multos immedicabiles, plurimos molestos, et haud paucos lethales, arrogare potest. Horum unus Inflammatio, morbus haud parvi momenti, telam serosam longe lateque plurimum vastans, attentionem medicorum primis a temporibus sibi vindicavit. Hi, quo morbum diligentius perpendeant, pro speciebus situs ejus varios habere solent. Medici varii has varie disponentes, inter alias de Enteritide, scil. telæ serosæ intestinorum inflammatione mentionem faciunt, et sic effectus ejus proprios pro charactere notare solent.

Char.—Abdominis dolor pressu auctus, et tensio molesta, quæ comitantur vomitus, alvus adstricta, febrisque vehemens, cum pulsu parvo, duro, et frequente.—De hac quæ inter studia attigi nunc pauca narrare propono.

Enteritis, morbus signis molestissimis comitatus, cursum citissimum plerumque percurrens, et ad exitum lethalem sæpe perducens, eos quos aut Plethora tumefecerit aut Hæmorrhagia vel res alia debilitaverit, præ aliis aggre-

ditur. Temperamentum vero nullum, nec ullam ætatem ab ejus periculo immunia invenimus; sed adulti sæpius, infantes puerique rarius, morbi exempla præbent. Tempore breviore aut longiore, causis excitantibus, quas postea numerabo, corpori admotis, his cum signis æger fere corripitur.

In ventre molestiam usque ad dolorem crescentem æger sentit; dolor primo diffusus, vel circum vagans paulatim ingravescit, situsque tenacior regionem umbilici plerumque occupat. Umbilici regio tumescens et renitens tactum brevi refugit. Cruciatus etiam oscitatione, tussi, alte spirando, aut corporis quovis motu, valde augentur. Hinc æger genubus reflexis et humeris capiteque levatis supinus jacet; costas inter spirandum solummodo movit, motum omnem caute evitat, abdomenque suum a lodicibus prementibus sedulo defendit. Hæc modo præit, modo subsequitur febris. Pulsus arteriarum frequentes, duri, et exiles, micant, cutisque universa calet, intima jam exurit æstus, sitis urget, et potus, acerbi, frigidi, expetuntur, æger eructat, brevi nauseat, et de-

mum conatibus validis crebro evomit; alvus adstringitur; urina parce fluens non sine dolore redditur; lingua sordibus obducitur; sapor depravatur, os glutinoso repletur muco, et labia arefacta aut pallent aut livent; vultus angorem exhibet maximum, spiritus leviter crebroque cum maximâ anxietate ducitur, et musculi abdominis spasmo contrahuntur; dolore et vomitu eodem tempore valde torquentibus.

Medelâ tempestive inceptâ, feliciterque adhibitâ, decrescunt dolor et vomitus; naturaliter alvus dejicitur; urina abunde redditur; cutis decalescens, sudore tepido irroratur; pulsus firmi et æquales evadunt, et æger brevi valetudine potitur.

Procedente verum morbo in pejus omnia ruunt, gangræna enim aggrediente, dolores, hucusque pungentissimi, derepente evanescunt; venter inflatus abdomine percusso sonat; horrores eveniunt leves; pulsus debiles celerrimi et intermittentes fiunt; quam maxime prosternuntur vires; oboritur facies Hippocratica, fati prænuncia; syncope sæpe obrepit; mensque interdum sed raro equidem alienatur; fri-

gescunt membra, et affatim erumpunt sudores gelidi et glutinosi; singultus gravat; vomitus ad nauseam perpetuam et immodicam crescit, et demum alvo, quæ antea clausa fuit, laxatâ, dejectiones nigræ inscie elabuntur, morsque ipsa sequitur ultima linea rerum.

Enteritis longe frequentius, ut supra diximus, aut resolvitur aut gangrænâ dirimitur; intestina autem ut alia quæ inflammantur viscera, suppurare, sed perraro equidem, solent. Inter signa hunc exitum comitantia, horrores leves, crebros, cum dolore hebetiore in parte inflammatâ, invenimus; in suppurationem inflammatione jam abeunte, pulsus minus celeres fiunt, et altera symptomata evanescunt: ipso pure jam generato, pulsus iterum accelerantur, et exacerbationes vespertinæ, sudoresque nocturnæ, cum aliis Febris Hecticæ indiciis, adsunt: abscessu, si quis oriatur, perrumpere pergente, dolor insurgit tendens cum ponderis sensu, et perroso ejus sacculo, deliquium ægro, pondere se levatum sentienti, obrepit; materia, intra peritonæum effusa, signa pessimi ominis excitat, si vero in tubum intestinalem, ingens

materiæ purulentæ moles sæpe cum membranis mistæ, alvo dejicitur: Interdum vero et sæpius equidem, intestinis proximis ope lymphæ effusæ nondum adhærentibus, pus intra peritonæi saccum, cum periculo haud parvo, partes inflammatæ passim effundunt.

Sic Enteritis plerumque progreditur, interdum autem, cum signa ista gravia, a nobis jam tradita, non antecesserunt, sectio cadaveris inflammationem lethalem præiisse monstrat. In casibus his mitioribus, eo vix minus timendis, dolor interdum per dies tam minime torquet, ut æger in corporis positura quadam vix queratur, nisi alte spirando, tussiendo, motu, aut pressu excitetur. Molestia quædam, cum horrore et pulsu aliquantulum frequente accessionem inflammationis plerumque monstrat. Deinde morbus inopinate progreditur, febremque excitat, dolor, quamvis ingravescat, pro aliis signis nunquam crescit; subinde remittens, molestiam internam pressu explorabilem abdomenque tenerum relinquit: proclivitas ad nauseam adest, et mictio difficilis; Inflammatione ad acutius currente, vomitus fit vehemen-

tior, pulsus frequentior, spiritus brevior et molestior, sensus interni caloris gravior, et sitis major, inquietudo universa augetur, et vultus mutatur in aliis aliter, interdum ab initio, sed sæpe non donec summum attigerit morbus.

In doloribus intestinorum nobis semper vigilandum et cavendum est; nam MORGAGNI, medicus doctissimus, in suis de sedibus et causis morborum epistolis, ægros quosdam, post leves dolores, aut certe post minime graves, nulla manifesta febre, nulla convulsione, nullo comitante vomitu, animo ac corpore satis vigentibus, de improviso in præceps ruere, et inflammatione latente ex sphacelo intestinorum inopinato, citissime eripi, sese vidisse narrat. Similes etiam historias nobis VAN SWIETEN, DE HAEN, et PRINGLE, tradiderunt. Hæ, quamvis tales equidem perraro occurrunt, nos vigiles facere debent, nam quandocunque dolor vel molestia etiam per horas paucas solummodo perstat, ne mali aliquid lateat nobis semper timendum est, et præsertim si pulsus mutetur, et facies aliquid insoliti ostendat, et si sitis, et

lingua haud bene se habens, et abdomen tensum et durum, unà cum illis adnotentur.

Frigus corpori calenti jam fatigato, caloremque amittenti, subito admotum, frequentissime huic morbo originem præbet. Varia etiam nocentia in corpus recepta, vel in ipso generata, veluti spiritus ardens immodice sumptus, fructus immaturi duriores, cathartica vehementiora, venena mineralia et vegetabilia, bilis acrior vel copiosior, calculi in intestinis formati intestina inflammant. Alvo quoque adstrictâ, morbisque intestinorum variis, ut Herniæ, Volvulo, tumoribus, et scirrho supervenit: De his nil dicam, sed de Ileo, quem Enteritis, naturam morbi veram sæpe obtegens, interdum sequitur, pauca dicere pergo.

Ileum præcipue notat dolor vagans circa umbilicum, torquens, per intervalla cessans, iterumque revertens, et pressu plurimum imminutus. Umbilicus eodem tempore retrahitur, et musculi abdominis, spasmo contracti, in globos sive massulas glomerari videntur. Alvus pertinaciter adstringitur, et crebro evomuntur non

solum quæ ventriculus, sed etiam quæ duodenum, continet. Si morbus vehementer gravescat, motus tubi intestinorum totius peristalticus in contrarium vertitur, et fæces pariter ac enemata per os ejiciuntur. Hunc morbum nulla vel levissima comitatur febris, pulsus pleni, tardi, et molles usque ad finem remanent, nec unquam, nisi colicæ enteritis superveniat, celeres fiunt. Pulsus igitur absensque febris, et presso abdomine imminutio doloris, præbent signa, quibus, ut opinor, Ileum ab Enteritide dignoscere possumus. Et e contrario, abdominis tactum non tolerantis tensione molestâ, et pyrexiâ acutâ, Enteritis ab Ileo rite distinguitur. Si vero medicinam facienti aliquid sit dubii, medela quæ Enteritidi convenit sine morâ adhibenda est.

Signa, quæ calculum per ductus biliarios transeuntem comitantur, signis Enteritidis interdum similes esse Parr dicit, et diagnosin, quæ a pulsus statu dolorisque genere pendet, simul monstrat. Pulsus rarissime afficitur, et dolor scrobiculo cordis primo adhærens, demum dorsum, modo insigni non illusuro, petit.

Dolore femur petente, membrique ejusdem torpore, et etiam meiendi cupiditate crebrâ, testibusque retractis, a Nephritide, morbum de quo hic agitur dignoscimus.

A Gastritide Enteritis sæpe difficillime dignoscitur, nam signa multa inter sese communia habent; aggrediente Gastritide, fluida etiam mitissima hausta illico evomuntur, sed initio Enteritidis in ventriculo brevi remanent: In progressu tamen proclivitas ad nauseam crescens, vehementiæ istius quæ Gastritidem comitatur adæquat, et tunc hoc signum minime valet. Dolorum situs, quo nosologi multum nituntur, sæpe signum dat fallax, et singultus, atque anxietas singulis demum accedunt; morbi cujusque igitur pro stadio et parte intestinorum inflammata diagnosis est facilior difficiliorve, nam nullum, ut videre potes, adest signum, quod singulis ut progrediuntur non sit commune. Medico inflammationem adesse scire plerumque sat est, nam ubicunque sita sit, eadem, vel saltem similis medendi ratio, adhibenda est.

Cum Inflammatio superficiem jecinoris istam, quæ ad sacrum spectat, aggreditur, nausea et

vomitus plerumque adsunt, dolorisque situi prope duodenum et colon tunc minime fidendum est; si vero, quod interdum non sentitur, dolor humerum dextrum claviculamque petat, si sensus ponderis in regione hepatica adest, aut cutis urinave flavescat, indicia satis hæc suppetant.

Hujus morbi periculosi ex quocunque proveniat fonte, præsagium est incertum, nam pars nulla fortasse facilius et citius quam intestina in gangrænam abit: Attamen nonnulla futuræ salutis mortisve indicia enumerare conabor.

Si inter medendum sensim dolores cessent, venter detumescens ad tactum minus doleat, alvus solvatur, et sedetur sitis, lingua fiat mundior; et molles, pleni, et æquales micent pulsus, omnia meliora se habent. Contra vero dolor intolerabilis remediis obsistens, abdomen tensum tactum refugiens, crebræ vomitiones, sitis inexplebilis, et lingua arida cum pulsu parvo, duro, et contracto, nil boni ominantur, nec levem imminentis gangrænæ incutiunt metum. Et demum subita dolorum remissio, abdominis inflatio magna, pulsus inordinatus, debilis, et

frequens, virium lapsus, collapsa facies, syncope, membrorum frigus, sudores gelidi, singultus, et alvi excretiones nigræ et fœtentes, gangrænam præsentem, et ideo instantem denunciant mortem. Haud vero dissimulandum, in quibus sphacelus intestinorum sit, dolorem non semper cessare. Nam si inflammatio spatium pervaserit longum aut portiones intestinorum occupârit diversas, sphacelo unam tantum partem adoriente, dolor non cessat, sed inflammatione in parte quâvis perstante, usque ad ipsam mortem durabit. Interdum etiam in morbis acutissimis, gangrænâ nondum aggrediente, mors ipsa invadit.

In Morbis quibusdam, Venæsectio quasi spes sola medici habetur, et equidem me multum aberraturum non opinor, si inter hos, morbum de quo hic dissero, enumerare velim. Sangui-

nis detractione præcipue niti, illumque copiose emittere, non tam quantitatem, quam effectum spectantem medicum opportet: Sanguis igitur, ægro in positurâ tali quali jactura ejus cito afficiatur posito, e plagâ magnâ, quo copia maxima puncto temporis fluat, emittendus est; nam sic effectus majores minus dispendii subsequentur. De quantitate in quovis exemplo detrahendâ præjudicare difficile est; nam homines alii ægrius, alii melius, sanguinis damnum tolerant. Multum igitur medicinam pro tempore facienti relinquendum est; isque nec pulsus exilis, nec debilitatis subsecuturæ gangrænæve formidine se corripi sinens, ad inflammationem superandam spectare debet: nam pulsus, sanguine fluente, pleniores firmioresque evadunt et rerum istarum infaustarum accessio magis ex morbo quam ex medicamine pendet. Post tempus, si signa non cedant, vel si subacta reverti videantur ad sanguinis jacturam iterum iterumque confugiendum est. Venæsectioni favens, rationem, me judice, anteponendam, hic tradere ausus sum, sed silentio nequaquam prætereundum est, medicos quosdam sanguinis missioni

minime confidere. Illos experientia, ut nobis ipsi dicunt, sanguinis detractionem ægros non bene tolerare, igiturque Enteritidi æque ac aliarum partium inflammationi non convenire docuit. Inter hos Parr, eam gangrænæ ipsius accessionem properare, et ideo exitum lethalem promovere, putat. A tali viro me juvenem dissentire forsan non opportet; sed timeo, ne sero incipiens, et sanguinem copiâ nimis parvâ emittens, quæ ex ratione remedio utendi pendent, ipso remedio attribuerit; et mihi, inter medicorum dissentiones rationem aliquam anteponendam quærenti, quæ jam protuli meliora apparent.

Abdomini externo Hirudines applicatæ medico magno sunt auxilio; nam sæpe propter horrorem quem plerumque excitant, deliquium sine sanguinis dispendio magno afferunt, nec equidem inutile est ex intestinorum vicinitate detrahere sanguinem; hoc enim partes internas modum in mirum afficit; Hirudines igitur post venæsectionem factam prosunt, et his, si in casu quolibet missio sanguinis copiosa metuenda sit, multum nitendum est.

In Inflammatione vesicatoria ampla etiam pollent, sed tantum pro auxilio usurpanda sunt, et non antequam febris dolorque topicus venæsectione subacta sint, emplastrum adhibere juvat.

In Ventris inflammationibus, venæsectione sola præstante, nulla magis juvant, nulla derepentius diutiusve, quam fotus calidi, calidumque balneum ægrotantem levant. De balneo calido inflammationibus adhibendo, medicus iste ingeniosissimus Dr Currie, de aquæ effectibus in morbis variis disserens, nobis, ni fallor, quædam optime dedit. Inter alia, ne aquâ nimis calidâ quenquam immergamus, nos præmonet; nam sub calore nimio, nisi æger sudorem profundere festinet, sanguinis circuitus acceleratur, quod certe evitandum est. E contrario vero, balneum minus calidum sanguinis circuitum nequaquam accelerans, morbo levamen, ægroque, præsertim si per tempus sese immergat, placidam requietem producit. Ut diximus, calor nimius subito adhibitus, corpus excitat, sed etiam fateri oportet, fas esse balnei calorem ægro jam immerso majorem facere et equidem

cum morbi levamine, si modo sudor fronti erumpat, si pulsus haud frequentiores evadant, et si æger ipse quiete fruatur.

Medicamina diaphoretica interius hausta, opio excepto, laudes, me judice, non merentur nam omnia irritantia, vomitum promoventia, et actionem intestinorum inordinatam augentia multum nocent. Opium vero dolorem sedat, vomitum compescit, actionem intestinorum inordinatam sistit, et constipationis causas magis hìc tollit quam movit; præterea si cum Ipecacuanha aut calomelane misceas, cutem sudorem effundere facit, quæ omnia prosunt: multum equidem disputatum est, an opium sedet, an stimulet; sed hoc parum refert; scire sat est, id signa molesta tollens, ægro levamen afferre et igitur adhibendum esse.

Miror medicis in mentem unquam venire, in hoc morbo purgantia adhibere, nam quid est intestinis inflammatis talia infundere, nisi oleum addere flammæ, stimulare intestina jam nimis sentientia stimulum ægre ferentia, et spasmo propemodum si non jamdudum, affecta. Medici quidam, fæces plus quam inflammationem timen-

tes, et, ut mihi apparet, immemores alvum rarissime, etiam nunquam, nisi inflammatione cessante, dejici, miserum cathartica devorare jubent. Inflammatione perstante cathartica minime valent, e contrario nocent; morbo vero remoto intestina medicaminibus mitioribus evacuare prodest: Inter hæc primum habent locum lotiones seu clysmata emollientia, quorum periculo facto, si alvus non dejiciatur, ad laxantia blandiora nobis confugiendum est; his etiam si, uti par erit, alvus non respondeat, valentiora periclitari fortasse licebit; sed e memoria nunquam amittendum est Enteritidi causas cathartica acria interdum fuisse.

Apud quosdam medicos Infusa Nicotianæ Tabaci injicere mos est. Hos imitari equidem timeo, nam a Nicotiana, nauseam vehementem vomitumque durantem excitante, et vires lapsas mortemque etiam ipsam afferente, mens mea, horrore percussa, longe refugit.

Oleum Terebinthinæ etiam adhibitum est, sed de hoc parum scio.

Hæc de Enteritide, quamvis pauca, sufficere

spero; nam et tempus et dissertationis natura me plura edere vetant; nec equidem, si mens mea me tulerit, aliquid experientia suppeditare queat.

FINIS.